



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sect. 2. Ex quibus bonis facienda sit eleemosyna, & à quibus fieri debet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

solum mortis, vel etiam mutilationis membri, vel periculum incidendi in amentiam perpetuam; nos autem possumus distinguere hanc extremam necessitatem etiam in aliis bonis, ut fama, & honore. Nam aliquando est in periculo tota fama, & fortuna. In his omnibus necessitatibus versari potest eleemosynæ præceptum, non tamen æquè; sed ad intelligendam obligationem comparandæ sunt cum potestate illius, qui daturus est eleemosynam. Nam qui magis potest, obligatur etiam in minori necessitate, & sic proportionatiter.

3. Conclusio de qua præter D. Tho. 2. 2. q. 12. ar. 9. & in 4. d. 15. q. 2. art. 6. alii plures eo loco Magistri, item Summiste verbo eleemosyna. Quorundam error relictur.

5. Dico tertio, præceptum hoc se extendere ad omnem proximum in necessitate constitutum, siue propinquus sit, siue alienus, siue peccator, siue iustus. Est de fide Tobie quarto. *Noli auertere faciem tuam ab illo paupere*, & supra vidimus præceptum charitatis se extendere ad inimicos, & expressè Prouerbiorum 25. *Si esurieris inimicus tuus ciba illum*. Vnde excluditur error VValephii, & aliorum hæreticorum apud VValdensem lib. 2. doctrin. cap. 81. dicentium, hoc præceptum non obligare erga infideles, & homines impiissimos, quem latè improbat Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, & alij Patres. Quod si Gregorius ait lib. 5. epistola vigesima nona, & refertur 86. cap. fratrum non esse elargiendam eleemosynam peccatoribus, intelligendum est formaliter hoc est in ordine ad fouendam illorum salutem. Vnde Ambrosius lib. 1. offic. capite 30. *Si luxurioso ad luxuriam, adultero ad adulterium largiendum putes, non est beneficentia ista, ubi nulla est beneuolentia*.

4. Conclusio.

D. Tho. vide etiam potest. 2. q. 13. art. 2. ad 4.

6. Dico quarto. Non tenetur homo querere quibus eleemosynam faciat, sed satis est si presentibus, vel iis, qui ad eius notitiam peruenierint, subueniat. Ita D. Thomas quodlibet 8. articulo duodecimo & alij. Ratio est, quia non est expressum præceptum de hac re, neque vlla sufficiens ratio, cur ad hoc obligemur, cum tamen opus sit grauissimum. Item quia ad pauperes spectat necessitas em ostendere, & peccare. Oportet tamen, ut bona fide aliquis procedat, neque occasiones fugiat subueniendi necessitatibus proximorum. Intelligitur verò conclusio de personis omnino priuatis. Nam qui gerunt Reipublicæ curam interdum tenebuntur non tam hoc præcepto, quam iustitiz, & officij, quia illud necessarium est ad conuenientem Reipublicæ gubernationem, in qua multæ indigentiz occurrunt, quibus aliter providi non potest.

Quoniam necessitatis certitudo obliget ad eleemosynam.

7. Quæres, quanta certitudine constare debeat hæc necessitas. Responderetur, si tantum habeatur ex dictis aliorum sufficere eam auctoritatem quæ faciat probabilem fidem. Si verò oculis videatur, licet sæpè soleat fingi, tamen quando id non constat, præsumendum est esse veram necessitatem, quia & securius est, & in fauorem proximorum potius est declinandum. Vnde rectè Augustinus epistola 149. *In suscipiendis hospitiis melius est interdum malos hostes persequi, quam foras per ignorantiam bonos excludere*. Sed quid si appareat necessitas, non tamen ex indigentia, sed ex voluntate profecta? Communis casus esse solet, si avarus potius se mori permittat, quam expendere velit in medicos, vel in res necessarias sua bona, An teneatur quis illi providere? Ratio dubii est, quia tunc non est necessitas, sed prava voluntas. Adriani in 4. in materia de Correct. fraterna affirmat, cum Glossa in cap. 1. distinct. 43. addit tamen posse eum, qui talem eleemosynam facit, recuperare, quæ dedit, si possit sine scandalo: sed distinguendum est, nam quando huiusmodi affectus accidit ex vehementi quadam passione, quæ ferè dementiz comparari potest, tunc procedit hæc sententia, sicut etiam tenetur subuenire ei, qui ex ingenti tristitia se vult in-

An teneatur quis subuenire voluntarie alterius indigentiz.

Adriani responsio.

terficere. Ratio est, quia licet admisceatur prava voluntas, tamen humano modo, est vera necessitas. Sequi verò esset si quis ex pura malitia id faceret, ut infra agendo de ordine eleemosynæ constabit.

8. Dico quarto. Occurrente necessitate non tenetur omnino facere eleemosynam, nisi sit extrema, hæc vltima pars per se constat. Nam illa necessitas est, quæ maxime potest vigere. Intelligitur tamen, nisi occurrant multæ similes necessitates, & non possim omnibus subuenire; tunc enim datur optio, seruato ordine charitatis. Addendum etiam nisi euidenter seiam alium subuenturum prius, quam proximum periculum patiat: nam tunc non erat extrema necessitas simpliciter respectu meæ eleemosynæ. Prior pars probatur, quia quando necessitas non est extrema, non ita urget, quin possit quis suam eleemosynam alius seruire, quod in communibus necessitatibus facile est intelligere; in grauibz verò oportet prudentia uti, nisi proximus interim nimum pariat; item ne grauior necessitas propter minus grauem omittatur: in quibus omnibus ordo prudentiz, & charitatis seruandus est.

9. Quæres: An hoc præceptum obliget tantum circa alienas necessitates, an etiam circa proprias. Res, ostenditur maxime ad has obligare, quia, vt supra diximus, etiam ipsemet homo continetur in obiecto charitatis, & eleemosynæ, quia sibi est maxime coniunctus. Quare rectè Augustinus in Enchiridio cap. 76. *Qui vult (inquit) eleemosynam ordinatè dare à seipso debet incipere, & eam sibi primo dare*. Vnde obiectum debet esse aliud, An si alicui comit. Difficultas expeditur. tantur peruenire ad eleemosynas, possit ex illis suæ veræ necessitati subuenire Syluester enim, & Angelus verbo, *eleemosyna*, dicunt non posse: argumento cuiusdam legis. *si mandauero, & si tribuerim, si mandati. Sed certum mihi est posse facere*; quod tenet Caietanus 2. 2. quæst. artic. 9. nam illa est vera eleemosyna. Item ipsi concedunt posse dare maxime propinquis, consanguineis, & filiis, cur ergo non sibi? Item expletur voluntas donantis cum datur verè egenti, nisi contrarium aperte explicet; ergo. Inferes, ergo si alicui in confessorio imponatur eleemosyna in penitentiam, satisfacere subueniendo suæ necessitati; neganda est consequentia, id enim est contra intentionem imponentis, neque ille adus sibi subueniendi est penalis, qualis imponitur in satisfactione. Vnde si ipse ita indigeret, vt non posset commodè dare eleemosynam, excusaretur quidem; verè tamen penitentiam impostam non adimpleret, nec satisfaceret ex opere operato.

Temperantia.

4. Conclusio.

An præceptum eleemosynæ obliget etiam in quibusque circumstantiis.

Difficultas expeditur.

Intentionis dilatare.

DISPUTATIO II.

Ex quibus bonis facienda sit eleemosyna, & à quibus fieri debeat.

1. Dico primo. Eleemosyna facienda est ex bonis propriis, quorum aliquis est Dominus, vel habet legitimam, & absolutam administrationem. Est certa, & constat Prouerb. 3. *Si ualer, & ipse benefac, & honora Dominum de tua substantia*, & Mat. 23. *frange esurienti panem tuum*. Idem etiam Patres. Ratio est quia non licet alicui dispensare aliena; item per eleemosynam transfertur dominium, vt ex sectione 5. intelligitur, ergo vel à Domino, vel ex potestate Domini. Aduertendum autem prosequenti conclusionem, interdum non satis esse habere dominium, sed oportere etiam illud non habere impeditum legibus humanis, à quibus, & translatione dominiorum, maxime pendet rerum temporalium administratio.

2. Hinc statuitur secunda conclusio personæ aliis subditæ, quæ vel dominium non habent, vel non

2. Conclusio.

2. Conclusio.

non

non habent rerum administrationē, quarum sunt domini, non possunt sua auctoritate elemosynas facere, excepta extrema necessitate. Perinēt autem ad hanc conclusionem quatuor personarum genera, scilicet, religiosi, filij familias, vxores, de quibus figuratim dicendum est, ac probanda conclusio. Primum seruus quidquid acquirit, Domino acquirit, ut tradunt iura iuristae. per quas personas s. item nobis L. id vestimentum ff. de peculio, cap. cum olim 2. de privilegijs. Quod absolute verum est, & in conscientia nullam elemosynam possunt serui facere, nisi ex domini concessione tacita, vel expressa: sed tamen opinor non esse hoc in rigore intelligendum, quia seruitus de se odiosa est, & ideo restringenda, alias esset intolerabilis, & inhumana, quare aliquarum rerum dominium possunt habere serui, vel ex donatione domini, vel ex donatione aliorum, consentiente domino, vel certe si ea conditione donatum est, ut domino non acquiratur, vel si aliquod iustum pactum inter dominum, & seruum intercedat, aut denique iuxta alias consuetudines dominorum, & seruorum, & de hoc possunt libere elemosynas facere, quia sunt domini. Idem clarum est in elemosynis, quae non sunt ex pecunijs, sed ex actionibus humanis. Nam si seruus nihil derogat domino in omnibus, quae rationabiliter praecipit, potest reliquas actiones impendere in beneficium aliorum, quod etiam obseruandum est in alijs generibus personarum.

3. Religiosi, alij subditi sunt, alij superiores: neutri habent in particulari dominium, tamē superiores habent rerum administrationem. Hinc ergo colliguntur regulae seruandae. Prima: superiores possunt facere aliquas elemosynas, quarum quantitas, & modus nisi alijs praescribitur, eorum prudentiae committitur. Secunda: subditi tamen non possunt nisi ex superioris concessione expressa, vel probabiliter praesumpta, Dicitur Thomas 2. 2. quae. 32. artic. 8 ad primum. Hae autem praesumptio, quando sit sufficiens, ex circumstantijs, & consuetudine estimanda est. Consent tamen Auctores communiter, quando necessitas grauis est, & non potest facile consensus superioris postulari, debere praesumi. Ita Angelus verbo elemosyna, cum Glossa in cap. Non dicatis, 12. quae. 1. prima, & est valde probabilis coniectura, & consentanea tali statui. Tertia: addunt omnes quando religiosus est in via, vel alia de causa degit extra monasterium posse aliquas elemosynas facere conuenientes suo statui: tum quia pro tunc illi est commissae administratio eorum bonorum, quae dispensat; tum quia talis praesumi debet superioris voluntas. Addit etiam Nauarr. capit. Non dicatis, num. 40. licet etiam religioso aliquid ex his, quae ad suum negotium, vel iter, vel victum sibi datur, subtrahere sibi, & in elemosynam dare, quod est pie dictum, sed pro consuetudine religionis applicandum; extra has regulas nihil potest dare etiam ex tibi dono datis, quia horum non ipse, sed religio dominium acquirit, ut vulgare est. Vide Basilium in regulis breuioribus quae. 77. 87. & 100.

4. Tertiō. De filijs familias, quoad bona paterna, quorum non habent dominium, certum est ex illis non posse elemosynas facere sine patris consensu: & idem est de pupillis, qui per leges habent administrationem impeditam. Sed addendum est, hos filios habere interdui quatuor rerum dominium, & vsum ut peculij Caltrensis, id est, in malitia, vel iuritu militiae comparatum, vel quasi caltense, id est, comparatum officio liberali, & publico, vel regia donatione. Nam de his bonis possunt filij familias elemosynas facere; secus verò est de peculio profectitio, id est, quod, vel ex rebus paternis, cum eis nimirum negotiando, vel ex donatione intuitu patris facta, profectum est. Nam talis peculij domi-

nium est apud patrem: & idem resoluendum de peculio aduentitio, quod scilicet acquiritur per donationem factam sine intuitu patris, vel alio labore, & industria, quam cum reb. paternis negotiando. Nam licet tale dominium sit apud filium, tamen usufructus est apud patrem, & ideo non potest filius de illo facere elemosynam. Addendum tamen est, regulas datas in religiosis, procedere etiam in filijs familias, si suo modo accommodentur.

5. Quartō dicendum est de vxore, quae licet suae uxoris dotis habeat dominium, non tamen administrationem, & ideo non potest de illa facere elemosynam sine viri consensu. Cap. Quod Deo, 33. quae. quinta, quod etiam intelligendum est, iuxta regulas datas de religioso. Praeterea spectanda est consuetudo, nam quas elemosynas laicae feminae matrimonio iunctae iunctae similis conditionis solent facere, potest etiam vxor facere: ab ista licentia mariti addunt Angelus, & Syluester, etiam si prohibeat: quia praesumendum est non ex animo prohibere, sed ut illam contineat à largioribus elemosynis. Itē quia esset quoddammodo iniuriosa talis prohibitio, quia est contra ius debitū vxori, quae non est omnino seruanda. Sed nihilominus si conitaret, eam esse voluntatem viri, tutius esset obedire, ut Nauarr. docet in Manuali capit. 17. num. 153. citans Antoninum, qui etiam addunt ob urgentem necessitatem corporis, vel animae propriae, vel mariti, vel familiae posse aliquam elemosynam facere, ut obtineat remedium à Deo. Vltimo addendum est, de bonis paraphernalibus, quorum videlicet dominium, & administratio libera conceditur vxori, posse illam facere elemosynas, seruato debito ordine, ita Dicitur Thomas 2. 2. quae. 32. articulo 8 ad 2. & omnes communiter qui idem censent de quibusdam bonis, quae vxor acquirit sua industria non necessaria ad sustentanda onera matrimonij, quod iure communi verum est, tamen in vnoquoque regno seruandum est illius proprium, si extet, de quo Nauarr. capit. 17. à num. 114. & alij, atque ita ex inductione facta probata relinquatur secunda conclusio.

6. Tertia conclusio. Ex bonis illicite acquisitis, 1. conclusio: & quae sunt obnoxia restitutioni, non potest elemosyna dari, nisi, vel in casu extremae necessitatis, vel si restitutio esset illo modo facienda. Ratio sumitur ex dictis; tum etiam, quia haec bona restituenda, magis computantur inter bona creditoris, quam debitoris, ut celebre est apud iurisperitos. Item ita tenetur quispiam restituere, sicut non furari. Sed non licet furari ad dandam elemosynam, ergo neque illam dare ex obnoxij restitutioni. Dices: Obiectori eodem argumento probaretur non posse aliquem retinere, quae restituere tenetur propter instantem grauem necessitatem, quia non potest ea furari. Vnde secundo arguo à contrario, potest quisque non restituere, ut suae graui necessitati subueniat, ergo & ut proximi, quem certe debet, sicut seipsum diligere. Idem suadet ex Patribus, qui interdum volunt, ut elemosyna erogetur ex iniuste acquisitis. Ad argumentum igitur concedo, sequelam non esse formalem, quia naturalia praeccepta simpliciter negatiua, ut est non furandi, strictius obligant, quam ea quae aliquod affirmatiuum includunt, ut est praecceptum restituendi: in praesenti tamen materia, id est, seculi illa necessitate, bona est sequela. Ad secundum, esse differentiam inter necessitatem propriam, & alienam, nam propria facit actum restituendi moraliter impossibilem, id est, valde difficilem; non sic autem aliena. Item quia obligatio subueniendi propriae necessitati maior est, ut intelligitur ex disputat. prima, sect. 4. Denique quia cum quispiam excusatur à restituendo propter necessitatem propriam, non tam id est, ut subueniatur necessitati propriae, quam ne in ea constitutur auferendo à se, quae possidet; secus verò est de proximo, qui

Confirmatur ex Patribus, ad primam objectionem.

Ad secundam.

Ad confirma-
tionem ex
Patribus.

qui iam est in necessitate, circa quam alter solum se habet negativè. Patres autem non loquuntur de iniuste acquisitis, sed ipsas diuitias more Evangelico vocant iniquas, non quod semper iniquè comparatæ sint, sed quia sæpe ita comparantur, & magno quodam, & iniquo labore: neque loquuntur de eleemosyna, sed in genere de bono usu diuitiarum. Deinde intelligi possunt de illis rebus, quæ comparatæ sunt turpi causæ, sed non iniuste actione, vel iniusto pacto, ut bona meretricum, & similia: nam cum harum rerum acquirant dominium, earum potest fieri eleemosyna, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 7. & Caletan. ibid. Medina Cod. de eleemosyna q. 5. & alij communiter.

1. Limitatio
superioris co-
clusionis.

7. Super sunt tamen assignandæ nonnullæ limitationes conclusionis. Prima limitatio est, alienæ extremæ necessitati tunc solum licere subuenire ex alienis, etiam surripiendo, quando quis non habet proprium. Prima pars per se patet. Posterioris ratio est, quia in illa necessitate omnia sunt communia quantum ad usum, ergo licite surripiuntur, ut extreme indigenti subueniatur. Addit D. Thomas quæst. 32. art. 7. ad 3. petendum esse prius consensum Domini, tamen si non det, eo invito accipi posse. Verum si non petatur, non credo peccari contra iustitiam, quæ ad restitutionem obliget. Sed quæres. An si quis de eleemosynam extreme indigenti ex re per furtum, vel usuram comparat, teneatur postea illam restituere, si aliunde acquisit unde possit. Responderetur si re vera dedit, quando ipse non potest aliam subuenire illi in necessitate, quod attinet ad conscientiam, manere liberum, dummodo tunc sit eo animo, ut solum propter eleemosynam omittat restituere. Ratio est, quia si tunc denuo furaretur, cum proximo erat succurrendum, ad nihil teneretur postea, ergo neque si antea furatus est, quemadmodum si redderet domino, & statim, si posset, occulte acciperet.

2. Limitatio.

8. Secunda limitatio habet locum in his bonis, quæ restituenda sunt, & incertum est, quinam sit facienda restitutio: hæc enim danda sunt in eleemosynam, e. Cum tamen, de usuris 14. quæst. 5. Ratio est, quia talis præsumitur voluntas domini, cuius illi, qui restitunt, censentur esse quasi dispensatores. Item ratione positivæ legis aliquod ius in tali casu acquiritur pauperibus: illis ergo tribuenda sunt ea bona in eleemosynam.

An retineri
possit eleemo-
syna facta ex bonis
iniuste accep-
tis.

De quodam
bonorum
genere reso-
lutio.

9. Sed adhuc manet dubium, An si eleemosyna fiat ex bonis restitutioni obnoxia, possit retineri. Responderetur, hæc bona duplici a esse. Alia quorum dominium non est apud dantem eleemosynam, ut sunt furta. Alia quorum est quidem vere Dominus, tamen alia ratione obligatur ad reddendum, ut si mutuo acceperat. In priori genere bonorum, quædam sunt, eadem numero restituenda, ut res immobiles, & quæ in vno usu non corrumpuntur, ut vestes, &c. Si ergo ex his fiat eleemosyna, nihil sit: atque accipiens statim tenetur reddere vero domino, cum ipse non fiat dominus. Aliæ sunt, quæ sufficienter in eadem specie restituuntur, ut pecunia, quare si, qui facit ex his eleemosynam, habet unde restituat, quamvis det eandem rem numero, quam sulkulit furto, transfert dominium ei, cui dat, qui propterea manet securus, quia alter non censetur dare aliena, sed propria cum aliis habeat, unde restituat. Et hæc est sententia communis, Gabr. in 4. dist. 6. quæst. 4. Maior. dist. 15. quæst. 3. Si vero non habet aliàs unde restituat, nihil facit, & accipiens tenetur reddere vero domino, quia fur tunc dat aliena, & non sua, ut magis ex dicendis patebit.

De altero ge-
nere resolu-
tio.

10. Circa aliud vero bonorum genus, quorum quis est dominus, distinguendum est: nam vel qui dat eleemosynam, sit impotens ad restituendum, vel non: si non, factum tenet, quia dat sua, & nulli facit iniuriam, quia habet aliàs unde restituat. Si

vero sit impotens, vel ille qui recipit bona fide recipit, vel mala: si mala, peccat recipiendo, & tenetur solvere debitum alterius. Patet. Nam ille qui sic dat, peccat contra iustitiam, iniuriam enim facit creditori, sed qui recipit, cooperatur huic iniustitiæ, ergo etiam peccat contra iustitiam. Si autem recipit bona fide, auctores quidam dicunt ad nihil teneri, quia neque ratione rei acceptæ: accepit enim rem à vero domino, quæ non erat alteri obligata actione reali, sed personali tantum, quæ non transit cum re ipsa: neque ratione acceptionis: quia non fuit acceptio iniusta cum bona fide acceperit. Dico tamen si ille, qui bona fide accipit, iam bona fide consumpsit, & non factus est dior, ad nihil teneri ex ratione factæ: si tamen non consumpsit, vel antequam consumpsit, intellexit obligationem alterius, qui dedit, per se loquendo, & credo non posse illam retinere, sed obligari ad solvendum debitum alterius. Ratio est, quia tota illa datio, & acceptio fuit iniusta, & per accidens ille excusabitur ex ignorantia, & ideo hac ablata, retentio incipit esse iniusta: unde soluitur illorum auctorum argumentum: nam obligatio oritur ex acceptione, quæ per se iniusta est, licet per accidens in hoc excusetur. Dico autem per se: per accidens namque interdum excusari posset, si sine magno gravamine, & exponendo se gravibus necessitatibus non posset reddere. Adde ultimum, si is, qui dedit eam eleemosynam, postea alia via satisfecerit illi creditori, vel quia creditor remittit, vel quia factus est dior, in eo casu eum, qui recepit, manere liberum, quia iniustitia non fuerat contra donantem: sed contra tertium creditorem, cui est satisfactum, & ipse aliàs habuit rem illam ex voluntate veri Domini.

11. Dico quarto. Etiam si homo habeat dominium, & administrationem illorum bonorum, non tenetur ex eis facere eleemosynam si sibi sint necessaria, servata tamen proportionem, & ratione necessitatis proximi. Ratio est, quia bona temporalia sunt huiusmodi conditionis, ut non possint donari alteri, nisi seipsum ipsi priuatis, qui donat: nemo autem tenetur priuare se rebus necessarijs, ut alijs subueniat, ceteris paribus, quia dilectio sui est prior dilectione alterius. Sed quia in particulari tota difficultas consistit in recta comparatione facienda, aduertendum est, hæc bona aliquando esse necessaria ad conservationem propriæ viæ, sub qua includo familiam: interdum vero esse solum necessaria ad statum, & decentiam quandam: interdum esse superflua, id est, neutri horum necessaria. Rursus is, qui facturus est eleemosynam, potest esse priuata persona, vel pater familias, aut alius, qui ex officio teneatur providere ijs, qui sunt sub eius cura. Rursus comparari potest huiusmodi homo ad alium existentem, vel in extrema necessitate, vel in gravi, vel in communi. Item, vel ad personam priuatam, vel ad commune bonum, seu personam, ex qua commune bonum dependeat. Quid ergo in his comparationibus sit dicendum, frequentibus duabus sectionibus exponam.

12. Quærendum hic ultimum esset, quibus personis fieri debeat eleemosyna? Sed satis intelligi potest ex supra dictis, tum in hac ipsa disputat. sect. 1. num. 5. tum disput. 4. sect. 1. e. in me eleemosyna tuusdam miseris subleuatio. Vide D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 9. & in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 6. Richard. art. 8. q. 7. & 8. Durand. q. 2. Palud. quæst. 3. art. 6. Gabr. disp. 16. quæst. 4. art. 2. conclus. 6. & 8. Alenf. 4. part. quæst. 33. membr. 2. Syluest. verbo Eleemosyna, quæst. 2. & 3. & alios Summis eas eodem verbo. Nauar. super cap. Quamobrem, de poenit. dist. 1. num. 6. Sorum in Opuscul. Deliberatio in causa pauperum. Medina Cod. de eleemosyna titulo de his quibus danda est eleemosyna, cum sequenti.

SECTION